

246

244

250

231

240

cum lapidibus regionis, et inter lapides commorabamur Iob.
8. Et hoc ideo, quia posuit Deus terminos terrae s. lapides
desiderabiles, Esai. 54. Et ipsos lapides amplexabamur cum
Iob. 24. Et hoc de facto contigit. Novi enim quosdam pere-
grinos ita terrae sanctae affectos, quod saepissime die ac nocte
se ad terram inclinabant et eam dulcibus osculis demulcebant
et ipsos lapides tanquam reliquias venerabantur. Hos lapides
elegit Christus in opere nostrae redempcionis. Nam in caverna
lapidea conceptus fuit, sub lapide et rupe natus, natus super
lapidem positus, super lapidem stans praedicavit, in caverna
lapidea ter oravit, ad columnam lapideam flagellatus fuit, coro-
nandus super lapidem sedit, ante judicem Pilatum super lapidem
stetit, super scopulum crucifixus fuit, super lapidem inunctus,
in lapide sepultus, et de lapide ad coelos ascendit. Et breviter
redemptionis nostrae mysteria ad lapides consummavit. Unde
in passione petrae scissae sunt. Quis ergo Christianus non
suavius quiesceret super hos sanctos lapides, quam in strata
molliori? Cui non dulcescunt lapides, quos tetigerunt Domini
Jesu, Mariae Virginis, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolo-
rum et aliorum innumerabilium Sanctorum pedes?

Duodecima ante solis ortum suscitati fuimus, et super
asinos ascendimus, et processimus in montibus sanctis. Post
aliquorum autem montium ascensum et vallium descensum, ecce
optata dies firmamento albescente in oriente aspirabat, et inde
aurora rutilabat; soleque de cacuminibus montium prospiciens
per terram radios suos spargebat, et tamen adhuc Jerusalem
procul erat. Processimus autem per vias asperas et nihil
nisi duram terram vidimus et saxosam. Unde milites peregrini
in asperitate terrae quodammodo scandalizati mihi sic dice-
bant: quid nostri sacerdotes loquuntur? quid praedicatorum
praedicant? dicentes, terram istam esse omnium terrarum
optimam? Ecce, quam aspera via, quam durissimi (90 A)
montes. Quid Dominus Jesus in hac terra inculta et solis ar-
doribus adusta voluit habitare? Unde inter verba contigit
duos peregrinos corrixari, quod vix poterant a se divelli. Et
si diutius disputassent, finaliter se invicem verberassent, quia
durissime contenderunt. Erant autem ambo puri saeculares,
unus multum rudis, alter acutus. Rudis arguebat contra terram

255

235

295

195

345

145

Ende

Anfang

